

Yb
1771

Q.N. 124/14.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG



11 573, 6

SOLLEMNIA
NATALITIA
ERNESTINA


IN
GYMNASIO ILLVSTRI
PIE CELEBRANDA

INDICIT
IOANNES GOTTFRIED GEISLERVS,

SER. DVCL. GOTH. A. CONS. ECCL. ET. RECT.


ACCEDIT

RECENSIO SCHOLARVM AD VTRAMQVE LIN-
GVAM PERTINENTIVM QVAE NVNC IN
GYMN. ILL. GOTHANO HABENTVR.



GOTHAE
LITTERIS REYHERIANIS.





Vltro, tandem aliquando, nomen suum apud me professi sunt bini disciplinae nostrae alumni, modestia, ingenio, et in literis tractandis assiduitate commendabiles, qui turpis, per integrum triennium, Gymnasii nostri, in publica laetitia, silentii finem se facturos esse, et publice declamando, commilitonibus, quod cupide sequerentur, exemplum prodituros, affirmarent. Horum voluntati laudabili deesse, cum mihi esset religio, ne ternarius declamantium numerus, more antiquo frequentatus, forte desideraretur, filium addere comitem non dubitavi. Gratulabitur ergo natalem **DVCI SERENISSIMO ET INDVLGENTISSIMO PATRI PATRIAE OPTIMO** Gymnasium Illustre cras, hora decima, ita, vt, cum gratulandi officio, declamantes artis musicae commendationem coniungant. Prior quidem **JOANNES CHRISTIANVS ADOLPHVS HOCH**, *Icktershusanus*, de eius vsu in eloquentia; alter, **HENRICVS CHRISTIANVS GVILIELMVS GOTTLÖB GNVEGE**, *Haynensis*, de eiusdem vsu in arte medica; tertius, **IOANNES GEORGIVS GEISSLER**, *Gorlicensis*, de eiusdem vsu in republica regunda, omnes ex mente veterum, et lingua quidem patria, dicturi. Cui panegyri vt beneuoli, fauentes, frequentes interesse, eandemque ornare et augere ne dedignentur, **MAECENATES ILLVSTRISSIMI PERILLVSTRES AVLAE PROCERES PVBLICAE SALVTIS PROCVRATORES EPHORI GYMNASII VENERANDI PATRONI ET FAVTORES MV SARVM NOSTRARVM RELIQVI**, quam possum subiectissime, obseruantissime, humanissime rogo. P. P. a. d. v. Febr. A. C. **MDCCCCLXXVII.**

HANTOD
SINKALENDIIE SIESTIIE

RE-

—————

RECENSIO SCHOLARVM AD VTRAMQVE
LINGVAM PERTINENTIVM, QVAE NVNC IN
GYMNASIO ILLVSTRI GOTHANO
HABENTVR.

Plurima erant, annis fere abhinc quinque, quae suaderent, multa quae monerent, nonnulla quae imperarent, ut antiqua instituta Gymnasii nostri, legibus a SERENISSIMO ERNESTO PIO sancita, praeclara illa et egregia tum, quum annis prope abhinc centum coepissent, nunc vero per tot annorum decursum, vel in abusum detorta, vel minus diligenter seruata, vel imprudenter tractata, ab his denique moribus, hac vivendi consuetudine, hoc literarum statu, quo nunc utimur, alienissima, vel reuocarentur, vel abrogarentur, vel cum aliis, his, quae viuendo attingimus, temporibus magis aptis commutarentur. Est enim ea rerum humanarum omnium natura et conditio, ut mobilia omnia et caduca sint; legum optimarum vis et robur morum mutabilitate et inconstantia frangatur; scholarum imprimis et omnis reipublicae temperatio, sicubi a moribus nouis paulatim inualescentibus longius recesserit, detrimenti plus quam emolumenti afferat; ita quidem, ut non male praecepisse videatur, qui leges humanas, vel sapientissimas, ultra aetatis humanae fines, quos triginta fere annis circumscribi constat, vtilis, rerum statui accommodatas, et conseruandas negabat. Inuenta nempe lege, uti non prouerbio est, inuenitur fraus, quae furtim serpere, libere vagari, iure quodam suo se iactare, et leges, quas clanculum subruerat, palam et aperte impugnauerat, repudiare et euertere non dubitat, non nisi nouis legibus, nouis institutis coercenda et constringenda.

Hoc ergo remedio aegrotae ac paene desperatae scholae nostrae SERENISSIMVS PATRIAE PATER Gymnasii nostri nomen tutelare, succurrere statuit, cum legibus alio spectantibus fanciendis, tum vero nouo ordine scholarum ad utramque linguam pertinentium describendo, promulgando. Quem cum nosse et multorum intersit, et haud pauci, vt eundem recenserem, vel monuerint, vel impense rogauerint, inualetudo porro, qua affectus haec scribebam, a graniori disputatione auocet; obtemperare his, iuuare illos, hac scribendi facultate oblata, constitui; exposito simul omni consilio, quod in hac re Sapientissimo Principi, admonito ab his, quos huius ordinis componendi iudices et auctores dixerat, sequi placuit.

Huius vero consilii summa fere erat haec: vt Gymnasii alumnis facultas esset et copia, optimorum quorumque auctorum, Romanorum non magis quam Graecorum intelligentiam, eamque veram, plenam, cum sensu pulchri coniunctam, non mancam et debilem, (qualis fere ex praecceptorum grammaticorum nuda et assidua tractatione, formularumque elegantium tinnitu inani, periodorum cincinnis et ambagibus, neglecta rerum grauissimarum et vtilissimarum, in graecis et latinis scriptoribus obuiarum consideratione et intelligentia efficitur) sibi parandi, qua instructi, in graecis quidem, fontes omnes, vineta metris aeque ac soluta oratione vtentes libere adire, et fitim inde bonarum literarum explere, in latinis autem, etiam ad latine, non latina, scribendum dicendumque progredi vltro possent. Rerum ergo curam, cum verborum explanatione, diligenter et accurate coniungendam, et teneris puerorum iuuenumue mentibus paulatim insillandam esse, Optimus Princeps videbat; imbecillitatis autem iuuenilis hic inprimis rationem habendam, nec vires infirmas rerum subtilitate vel pondere opprimendas esse citius quam oportuerat, probe intelligebat. Rationem igitur et viam quandam iniri volebat, qua pueri ad capiendam Homeri, Virgilii, Ciceronis, Demosthenis, Xenophon-

tis

tis, Horatii, Pindari, aliorum, vim, copiam, elegantiam praepararentur. Hanc inesse in cognitione Historiae antiquae, omnium, Romanae praefertim et Graecae, Geographiae antiquae, Mythologiae, Rituum Romanorum, Historiae, quam dicunt, philosophicae antiquioris, Archaeologiae denique et Rhetorices, ex Aristotelis, Ciceronis, Quinciliani praeceptis concinnatae; et, qua ipse est harum rerum peritia, vltro credebat, et ab aliis idem probari gaudebat. Faciliores porro et leuiores viam ad magis ardua et difficiliora praemuniendam esse intelligens, in delectu auctorum faciundo, simplicissimos quosque praeponendos iis, qui doctrina et arte in scribendo vsi essent, ab his vero demum ad summos in dicendo artifices procedendum esse iubebat. Quantum denique in coniunctione et comparatione scriptorum, res fere similes et continuas exponentium, inesset, vel ad memoriam iuuandam, vel ad rerum intelligentiam subleuandam, non ignorans, illud in ordine scriptorum tractandorum describendo in primis tenendum esse praecipiebat, vt cum Romanis coniungerentur Graeci, qui illis maxime affines essent, et rerum, quas exponerent, cognatione, et dicendi, qua vterentur, vel simplicitate vel artificio.

His legibus dictis, ad Historiae antiquioris vniuersae cognitionem parandam, Iustinum; ad Graecae Historiae Cornelium, Gemistium; ad Historiae Romanae, Eutropium, Paeanium, Florum, Herodianum; ad Geographiae antiquae Pomponium Melam; ad Mythologiae Palaephatum, Apollodorum, Lucianum, Ouidii Metamorphoses, Plutarchum de audiendis poetis; ad Rituum Romanorum Ouidii Fastos et Burmannum; ad Historiae philosophicae, Ciceronis Tusculanas; ad Archaeologiae Ernestium; ad Rhetorices tandem intelligentiam et Ernestium, et Ciceronem de oratore explicandos, illustrandos proposuit: et horum demum lectione, in vernaculam translatione, imitatione etiam qualicumque subactis Xenophontis in Memorabilibus suauitatem, Ciceronis et Demosthenis in orationibus vbertatem et copiam, Homeris, Pindari, Euripidis, Virgilii, Horatii

itii grandiloquentiam, uentos et aculeos demonstrandam, et ad imitan-
dum proponendam esse, ita sanxit, ut nec Aristophanis sales, nec Teren-
tii delicias, nec Sallustii vim, Liuii uertatem, Plinii in historia naturali
doctrinam multiplicem, vel in scholis publicis, vel in priuatis saltem ha-
bendis, non magis quam aliorum omnium, qui, eleganter scribendo, no-
men sibi et famam inter veteres pepererint, ueneres negligendas esse cen-
seret. Eorum etiam causa, qui Theologiae excolendae operam daturi
essent, Noui Foederis tabulas illustrari publice placuit, non, quod necesse id
sit iis, qui graecorum scriptorum lectione innutriti, et hebraicae linguae
intelligentia suffulti, ad illas legendas accessissent; sed, ne quid desideraretur
ab his, qui, hoc sublato, Gymnasii nostri fortunam, quam recte ipsi
viderint, conuesturi et deploraturi essent.

Post enumerationem scriptorum, quos illustrare et explicare iussi su-
mus, *ὄψημα* et ordo exponendus est, quem in iis explicandis tenemus.
At, hic paucis defungi licet. In enumeratione enim ipsa ordinem eorum
simul fere secuti sumus. Id modo tenendum, Gemistium Plethonem sup-
plendi Cornelii causa lectum esse, adeoque cum Cornelio uno eodemque
anno explicari; Melam Florum inter et Cornelium interponi, cum, ut disci-
puli Flori *κατοζήλια* exercitati *ρήσεις* quasdam difficiliiores Melae concoquere
eo facilius possint, tum, ut nemo ad Cornelium, ut olim moris erat, legendum
accederet, qui nulla plane Geographiae antiquioris cognitione instructus
esset; id quod nobis quidem temerarium, ne dicam stultum, uideretur.
Palaephatum porro, mira simplicitate orationis commendabilem, Paeanius
subsequitur, Eutropii interpres, et hinc ad intelligendum rudioribus aptior,
Paeanium Gemistius et Herodianus, hunc Apollodorus cum Luciani dia-
logis selectis, Plutarcho de audiendis poetis, Homero inprimis et Tragi-
cis, comite. Sic etiam Ciceronis de Oratore libros Tusculanae eiusdem
excipiunt, Ouidii Metamorphosibus vel Fastis interiectis. Rhetorica Er-
uestii initia, cum Ciceronis de Oratore libris vno eodemque anno copula-
ta,

ta, subsequuntur Ritus Romani, hos Archaeologia Ernestiana. Xenophontem post haec Demosthenes de corona, copulandus nempe cum Ciceronis orationibus selectis, uti et Homerus cum Virgilio, Horatius cum Pindaro, quibus Euripidis Alceftis, vel Aristophanis Nubes interpolantur.

Commiscentur omnibus his scholis, ubi vel necesse vel opus est, praeceptorum grammaticorum expositio et usus; coniunguntur cum iisdem versiones ex latinis quidem et graecis in vernaculam, ex hac in latinam, profodicae item praeceptiones; poëmatum dissolutiones, coagmentationes, conatus poëticae ipsi, tantum quidem, quantum, ut ille ait, vel ferre humeri valeant, vel recusent; declamationes denique et commentationes latinae, quas scholarum angustiae, et alumnorum aetas, et doctrina puerilis capiunt.

Tabulam etiam harum scholarum omnium, nequis eam frustra in hac prolusione requirat, subiecinus:

In Cursu primo.

In Graecis elementa grammatica sequitur Palaephatus, istis nunquam plane sepositis, sed cum eodem copulatis. In Latinis coniunguntur Syntaxeos et Profodiae praecepta praecipua cum Weiffii libello qui inscribitur: *Geschwinder Lateiner*, et cum his Iulianus post Eutropium, per biennium.

In Cursu secundo.

In Graecis Paeanium Gemistius, Plethonem Herodianus. In Latinis Florum Mela, Pomponium Cornelius, adiunctis elaborationibus profaicae et poëticae, per biennium.

In Cursu tertio.

In Graecis Apollodorum Lucianus, Samosatensem Plutarchus, quibus Nouum Testamentum Graecum accedit, quod non, ut alii auctores profaui, alternis, sed quotannis, statim et immutabilibus praelectionibus explicatur. In Latinis Ciceronem de Oratore Ouidii Metamorphoses vel

Fassli

Fassi, hos Ciceronis Tusculanae, quibus accedunt, cum exercitationibus profaiciis et poeticis, Rhetorica, Ritus Romani et Archaeologia, per triennium.

In Cursu quarto.

In Graecis Xenophontis memorabilia Socratis Demofihenes de corona, quibus interponuntur Homerus, Pindarus, Euripides, Aristophanes. In Latinis Ciceronis Orationes et Epistolae Virgilius et Horatius, adiecto declamandi exercitio, et elaborationibus, quas vocant, et profaiciis et poeticis, per biennium.

Addiramentum.

Cursus appellare, quae olim classes vocarentur, et inuerso quidem ordine, tum, cum haec agerentur, peculiaribus de causis, necesse erat. At in verbis simus faciles. Qui primus nunc cursus est, classis olim erat tertia, secundus secunda, tertius prima, quartus selecta. Caeterum in his scholis non integros auctores, a capite ad calcem, sed tantum eorum, quantum per temporis angustias licet, explicari, intelligentes, vel me non monente, intelligent, et probabunt, opinor, non necii, et priuatae alumnorum diligentiae relinquendum esse aliquid, in quo absque cortice natare discant, sibi que ipsi sapere.



ULB Halle
006 762 395


3



✓ 778

ME





11 575^b

SOLLEMNIA
NATALITIA
ERNESTINA

IN
GYMNASIO ILLVSTRI
PIE CELEBRANDA

INDICIT
IOANNES GOTTFRIED GEISSLERVS,
SER. DVCL. GOTH. A. CONS. ECCL. ET. RECT.

ACCEDIT
RECENSIO SCHOLARVM AD VTRAMQVE LIN-
GVAM PERTINENTIVM QVAE NVNC IN
GYMN. ILL. GOTHANO HABENTVR.



GOTHAE
LITTERIS REYHERIANIS.

